



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. V. Vtrùm Celladeus in referendâ sententiâ, quam impugnat ,
fideliter se gesserit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

prorsus similem, à cognitione & affectu pariter similibus ortam, esse bonam, quando cognitio est vera.

Dices. Ergo nil refert, utrum erremus, an verum dicamus. At hoc absurdum videtur. Ita Celladeus.

An, & cur referat non errare?

9. Respondeo, errorem in hujusmodi casibus, si sit invincibilis, nil prorsus obesse in ordine ad finem voluntatis, & ad placendam Deo, modò error ille in eadem prorsus aut pari præsumptione fundetur, atque pari prudentiâ à voluntate imperetur, ac judicium verum. At in aliis casibus error, etiam invincibilis, obest, quia impedit majorem honestatem, quâ à cognitione directâ certâ, si ea adesset, in actum refunderetur. Præterea in omni casu error semper contrariatur fini intellectus, quia privatur veritate, ad quam intellectus essentialiter ordinatur; ideoque in omni casu simpliciter loquendo plurimum refert non errare.

10. Ex duobus istis quæstionibus tota Cella-

dei doctrina funditus everitur, quia idem in eo fundatur, quòd nulla operatio, ab errore regulata, esse possit bona, quamvis aliqua sit non mala; illa scilicet, quæ suum ab errore invincibili ortum sumit. Et hoc quidem ejus assertum in quæstione præcedenti convellitur; in hæc verò aliud, & quidem fermè continuus, ejusdem error detegitur. Ubique enim supponit, errorem in sententiâ probabili aliquando latentem esse nobis tam utilem, quàm sit certissima veritas directâ. Unde infert, miseram prorsus scientiam moralem, si nostra sententiâ admitteretur, quia tanti esset in illâ errare, quanti scire. Verùm sicut ex dictis constat, falsum esse antecedens, ita pariter ex eisdem constat, consequens esse falsum, & consequentiam nullam. Sed de his singillatim agendum erit uberius, ubi Celladeus, aut datâ aut etiam quæsita opportunitate, eadem tamquam absurda ex nostrâ sententiâ provenientia obrudet.

Ex quo capite doctrina Celladei evertatur?

QUÆSTIO QUINTA.

Virum Celladeum in referendâ sententiâ, quam impugnat, fideliter se gesserit?

1. **I**N tractu de conscientia prob. multis locis, atque hæc etiam quæst. 2. num. 198. & sequentibus ostendi, adversarios benignæ sententiæ non impugnare illam in sensu ab ejus assertoribus intento, sed solum à se confecto; similiter ostendi, quosdam novam excogitasse opinionis probabilis notionem ab aliis non admittam, atque ita demum improbasse usum opinionis probabilis ut illicitum, atque verbis tantum contra alios multum declamasse, cum neminem adversarium haberent, sed propria tantum phantasmata, & miras ex illis deductiones tanquam absurdas impugnant. Videndum ergo est, utrum Celladeus hæc in parte æquius se gesserit, quia *lib. 1. quæst. 4. & 5.* proponit, quid Auctores benignæ sententiæ nomine opinionis probabilis intelligant, & quomodo eam dividant.

hominem peritum & probum ad assensum, quando in ferendo judicio non ex indebita passione movetur, sed, sicut decet virum doctum & pium, judicium format. Porro; ex definitione illâ reliquisque antea dictis, ibidem intuli, nil esse posse probabile, quod aut solido fundamento caret, aut rationi manifestè repugnat. Rursus intuli, omnia illa esse indubitanter improbabilia, quæ sacra Scripturæ, Patrum traditioni, Ecclesiæ definitioni, Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis repugnant. Idem expressè tradunt complures Theologi gravissimi, ac potissimi sententiæ benignæ Auctores, qui certè non frustra horum omnium tam disertè meminerrunt; non enim tam operosè, tam notanter de illis egissent; nisi singularem eorum omnium considerationem habendam judicarent, quoties determinandum est, an aliquid in materiâ morum & fidei sit probabile, nec ne. Ergo quicumque ex instituto intendit eorum sententiam refellere, & ideo ex professo in limine disputationis suæ eorum sententiam sedulo exponere præten- dit, & actu exponit; quicumque, inquam, hoc præstat, minus fideliter se gerit, si, nonnullis expressis, taceat alia, de quibus Auctores, quos impugnat, maxime solliciti sunt, ut eorum peculiaris ac expressa notio habeatur. Atqui hoc modo se gessit Celladeus in referendâ sententiâ Auctorum de notione & essentiâ opinionis probabilis; nullum enim verbum habet, quòd exigant, ne quid certum in contrarium afferatur. Ergo minus fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis; reticuit enim quod minimè reticendum erat, sed eadem fidelitate ac significatione exprimendum, quâ Auctores id signanter exponunt, & ad essentiam opinionis probabilis requirunt.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus minus fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis.

Celladeus minus fideliter se gessit in referendâ notione opinionis probabilis.

2. **P**ROBATUR. Potissimi Theologi, qui de notione & naturâ opinionis probabilis exactius egerunt, disertissimis verbis duo ad eam requirunt: primò, ut gravi fundamento nitatur, secundò, ut nil certi in contrarium afferatur. Ego fusè de hæc re egi *quæst. 2. de cons. prob.* ubi num. 41. defini opinionem probabilem esse *judicium absolutum sed incertum de aliquo objecto, mixtum motivo prudenti, cui proinde homo, omnibus inspectu, irreprehensibiliter assensum præbet.* Porro ante hanc definitionem explicui, quid sit motivum prudens, unâ cum reliquis terminis, qui difficultatem ullam continent. Nullum autem motivum est prudens, quod & absolute in se, quatenus directè impellit ad assensum, & comparative ad omnia, quæ afferuntur in oppositum, tantæ magnitudinis non sit, ut inducere possit

3. Dices: non est necesse, ut in explicatione Replica opinionis probabilis explicitè apponatur, quòd in contrarium nil certi obstat, quia hoc sufficienter includitur in aliis particulis, quas Celladeus attulit;

attulit; nempe in eo, quod opinio probabilis niti debeat digno ac sufficienti fundamento, hoc enim involvit illud.

Solvitur.

Respondeo, Celladeum non futurum fuisse solummodò minus fidelem, sed falsarium, si utrumque omisisset; sed absit hoc vel cogitare de tali viro. Ceterum, sicut ipsi Auctores non fuere contenti hanc implicitam inclusionem unius in alio, sed iustis de causis utrumque exprimere fategerunt, ne in re tanti momenti deceptio irrueret; ita pariter Celladeus eadem exprimere debebat; quæ cum omiserit, quamvis illa ab Auctoribus benignæ sententiæ habeantur magni momenti, effugere non potest, quin minus fidelis & exactus merito habeatur. Verum tolerabile esset, si hoc tantum in loco id omisisset; sed cum sæpe in decursu operis in idem recidat, ut suis locis observabitur, id minus ferendum est.

ASSERTIO II.

Celladeus minus fideliter se gessit in referendis Auctorum sententiis, de divisione opinionis probabilis.

Celladeus minus fideliter refert aliorum opinionem de divisione opinionis probabilis.

4. **P**ROBATUR. Inprimis §. 2. ita refert sententiam docentium, unum Auctorem ad opinionem probabilem reddendam sufficere, ut id crudè & absque ullis limitationibus proferat, tamquam absolute ab illis assertum; cum tamen certum sit, Auctores illos plurimas limitationes apponere ad hoc, ut unus Doctor sententiam suam reddat probabilem. Ergo hanc in parte minus fideliter se gessit. Et sanè huiusmodi modus proponendi hanc sententiam ex se aptus est efficere, ut Lector statim de eâ sinistram opinionem concipiat, quia durum videtur, quod unius Doctoris assertum simpliciter & universaliter habeatur probabile, maxime contra unanimem aliorum omnium opinionem. Jam certum est, Auctores hoc in tali universalitate non docere; & tamen sententia illorum ita proponitur, ac si difertè, & tam crudè illud tenerent, sicut ille proponit.

5. Secundò, §. 4. ita refert opinionem quorundam dicentium, omnes opiniones reputari debere tutas in praxi, quæ in ullo Auctore gravi reperiantur, modò nec à superioribus, nec ab aliis Doctoribus ullâ censurâ notentur, ita, inquam, hæc refert, ac si Auctores benignæ sententiæ communiter ita sentirent, cum tamen vix sit unus aut alter, nec magni nominis viri, qui ista tradiderint; nam alii omnes propositionem illam, illâ generalitate acceptam, ut falsam & intolerabilem damnant. At hoc est minus exactè ac fideliter opiniones referre, ut patet.

Alii similes deficiunt Celladei.

6. Tertio, totâ quaest. 4. ita proponit opinionem ac divisionem opinionis probabilis, ac si magnæ inter eos essent lites & dissentiones de rebus summi momenti, omnesque loquerentur terminis, quibus mentem suam insufficienter explicarent; atque tota doctrina illorum ad laxitatem tenderet; qui enim totam quaestionem illam quartam perlegerit, alium ex vi illius conceptum non formabit, quam quem jam exposui. At hoc est minus fideliter se gerere in explicandis Auctorum sententiis, quas eo loco diligenter explicandas, & nullo modo impugnandas suscepit. Et sanè in rebus momenti magna inter Auctores illos est concordia, omnesque clarè ac difertè

mentem suam explicant. Præterea omnes ferè valde cautè se gerunt, ne ad laxitates deflectant. Hoc inde factum videtur, quod cum hæc scriberet Celladeus, non aspexerit; quæ Doctores de hac re tradiderant, sed ea solum protulerit, quæ memoria dimidiatè tunc suggerbat. Quod si legisset sex priores quaestiones ex tract. de conscientia probabilis, aliter, ni fallor, hæc omnia proposuisset; in illis enim clarè proposui omnia, quæ ad essentiam, proprietates, ac divisionem opinionis probabilis pertinent, ad quæ Lectorem remitto, quia ibi inveniet distinctè proposita, quæ Celladeus minus adæquatè, minusque fideliter expressit.

ASSERTIO III.

Celladeus alicubi palpabili falsitate, materialique calumniâ gravissimâ proponit sententiam eorum, quos impugnat.

7. **P**ROBATUR. Celladeus lib. 1. quaest. 5. §. 2. ubi prosequitur declarationem sententiæ benignæ, quam impugnandam suscipit; hæc habet. *Si verò quaeratur, an opinio (quam dicunt esse sufficientem conscientie regulam) debet respicienda esse probabilis, an sufficiat eam videri, existimarique probabilem?* Inprimis ipsi nihil hanc distinctionem de esse & de videri aut curarunt, aut explicarunt, nec explicare, credo, possunt in via sua, ut lib. sequent. constabit. Hæc Celladeus non solum minus fideliter, sed patenter falsò nobis imponit. Provoco eum, ut verum esse ostendat, quod dicit; hoc ni fecerit, patienter feret, si dicamus, eum; juxta præsentem propriæ imaginationis representationem, non juxta veritatem olim ex sedulâ lectione hausam, aliorum sententias proponere. Immo quocumque se verterit, haud fugere poterit hanc notam, quia certum est, plures Auctores de hac re diligenter egisse, eosque omnes (uno aut altero dempto) expressè requirere, opinionem esse debere certò probabilem, ut pro regulandâ conscientia sufficiat. Ego in tract. de consc. prob. multis in locis, præsertim quaest. 5. & 6. in alio sollicitior non fui, quam ut ostenderem signa infallibilia, per quæ certò scire possimus; quænam opiniones sint certò, quænam verò solum probabiliter probabiles, ut sic certi esse possimus, nos in operando legitimam regulam adhibere. Nec dicat, me solum hoc præstitisse, meumque librum ad manus ipsius non pervenisse; ego enim in hoc ipso alios imitatus sum. In initio quaest. 2. citavi Lugo, Bresserum, Honoratum Fabri, Bardum, aliosque plures, qui expressè asserunt, opinionem, ut eam tutò sequi possimus, esse debere certò probabilem. Magnam ergo & palpabilem falsitatem nobis imponit, dum dicit nos distinctionem hanc, *de esse & de videri* opinionem esse probabilem, nec curasse, nec explicasse, cum omni diligentia utrumque præstiterimus.

8. Scio, antiquiores expressè non distinxisse inter opinionem certò & probabiliter probabilem, recentiores autem apertè distinxerunt. Unus quidem aut alter expressè tenent, probabilitatem solum probabilem pro regulandâ conscientia sufficere. Reliqui omnes, qui absolute tenent probabilitatem sufficere ad excusandos seculares minus tuta, aut supponunt, aut expressè tradunt, probabilitatem de honestate operis esse debere certam, ut operantem certò excuset. Ceterum

Auctores expressè requirunt probabilitatem certam pro regulâ conscientie.

erum illi etiam, qui tenent probabilitatem probabilem sufficere, non dicunt illam sufficere, si quomodocumque videatur aut existimetur adesse, quia opinio aliqua potest imprudenter reputari probabilis; in quo casu probabilitas sic apparens neminem excusaret. Ut ergo excuset, requiritur, ut iudicium affirmans illius existentiam sit saltem probabile. Nemo ergo prorsus est, qui probabilitatem utcumque existimatam sufficere arbitretur. Ergo toto cælo errat Celladeus, dum confidenter oppositum asserit, nec solum errat simpliciter, sed magnam suis adversariis calumniam materialem imponit.

Aliam falsitatem nobis imponit Celladeus.

9. Probat secundò. Non minus turpiter erravit, nec minorem calumniam nobis imposuit Celladeus eadem *quest.* 5 §. 1. in explicatione sententiæ benignæ, ubi dicit, multos benignæ sententiæ Auctores docere, posse quemlibet tutò operari, atque eo quòd de rebus ipsis opinetur ac iudicet; sed abundè sufficere, si, ipsis nil opinantibus, inveniatur dari opinionem probabilem libertati faventem. Et quidem ut ex hoc abominationem excitet contra illam sententiã, expressè asserit, hunc procedendi modum in Academicismo declinare. Hæc ille. Sed in omni apice aperte errat, quia ne unus quidem ex omnibus Auctoribus nostræ sententiæ assignari potest, qui expressè non requirat iudicium saltem reflexum, quo iudicet omne illud esse licitum quod est probabile, ac proinde hoc esse licitum, quia hoc est probabile. Et ne videar nimis jactanter & universaliter hoc asserere, provoco illum, ut vel unum ostendat aliter loquentem, aut fatentem sufficere, quòd quis credat aliquid esse probabile, quamvis non existimet omne probabile esse licitum, aut ex aliquo alio ejusmodi principio formet absolutum iudicium, aut directum, aut reflexum, de honestate operis; quod facit. Sanè, ut vitet notam Auctoris aliis imponentis quæ non asserunt, tenetur aliquem assignare, qui ita loquatur. Verùm nunquam id præstabit, cum oppositum sit certissimum omnibus, qui Auctores legerunt & ex illorum lectione certò discunt, quid ipsi sentiant.

Academici toto cælo nobis discrepant.

10. Hinc autem invidia Academicismi, in quem Celladeus impingere nos arbitratur, longissimè arceretur. Academici enim aiebant, prudentem ita gerere se debere, ut nil iudicando eã agar, quæ ipsi agenda videntur. Unde omnes excusabant, qui in dubio operabantur; eos autem condemnabant, qui ex iudicio prius formato

ad opus se extendebant; quia omne ejusmodi iudicium aut pro falso habebant, aut certè summo errandi periculo carere non posse asserabant; omnique proinde, qui ex præconcepto iudicio operabatur, imprudentem appellabant, quia prudentem nunquam errare, aut erroris periculo se exponere debere asserabant. At nos è contrario dicimus, neminem à peccato excusari posse, si in dubio operetur. Deinde asserimus, quòd pro honestà operatione necessarium sit, operantem formare iudicium, quo absolutè credat se honestè operari. Præterea de conceptu probabilis apud nos est, ut nil adhuc certum in contrarium; hoc autem est de subiecto, ut aiunt, non supponente apud Academicos, quorum præcipuum dogma erat, nil certum nobis esse posse. Itaque tam natura probabilis, de quo nos agimus, quàm noster procedendi & opinandi modus, Academicis in omnibus contrarius, evidenter ostendunt, neminem magis quàm nos, ab Academicorum opinione recedere quamvis Celladeus, falsà & à se confictã nostræ opinionis expositione deceptus, magnum Academicismi periculum in benignâ sententiã latere existimaverit. Sed de hoc argumento fusius infra *quest.* 25. tractandum erit.

11. Probat tertio. Eadem *questione.* 5 §. 2. Alia Celladei calumniã materialem. Celladeus expressè dicit Auctores benignæ sententiæ docere, actum quemvis, etiam illum, quo Paganus idola colit, & Christianos talis cultus impugnatores diris tormentis cruciat, esse honestum, modò Paganus ille, aut quivis alius absolutè existimet, se bene operari in eo, quod facit. At hæc est calumniã gravissima; quia etsi nonnulli aliqua similia nonnunquam excusent à peccato, quia putant tales homines invincibiliter posse in his errare, omnes tamen aperto ore dicunt, eos non excusari, si in his vincibiliter errent, in quibus plerumque contingit, errorem esse vincibilem. Et tamen tunc operatio conformis est existimationi absolutæ de honestate ipsius. Ergo omnes dicunt, operationem, existimationi seu conscientia conformem, sæpe esse peccatum, & non actum honestum. Ergo Celladeus non in unâ re, sed in multis referendis minùs fideliter se gessit, & in nonnullis gravem calumniam materialem benignæ sententiæ intulit. Sed de hoc argumento plura dicentur *quest.* 13. ubi hanc à nostrâ sententiã calumniam ex professo propulsumus.



QUÆ